

DISSERTATIO,
COMMODA EX INCREMENTIS
SCIENTIARUM RELIGIONI
ALLATA,
Sistens.

QUAM,

*Consensu Amplifs. Fac. Philos. Aboëns.
Publicæ Censuræ Subjiciunt*

MAG. NICOLAUS GESTRIN

A Sacris Ordinibus

ET

JOHANNES ANDREAS QUIDING

Stip. Reg. Blekingus.

In Auditorio Maj. d. 18. Dec. 1798.

H. A. M. C.

ABOÆ,
Typis FRENCKELLIANIS.

COMMODA EX INCREMENTIS
SCIENTIARUM RELIGIONI
ALLATA.

§. 1.

Seculi, quo vivimus habitum, æqua perpendentes mente, Scientiarum bonarumque artium majorem undiqve nobis affulgere lucem, quam majoribus nostris concessam, merito contendimus. Sive enim ad vigilias, quas multi recentioris ævi præstantes viri excutiendo impenderunt sopori, qui hominum medii, ut dicitur ævi, occupaverat animum, attendimus; sive vires, quæ rationi per cultas disciplinas accesserunt humanæ, quarum ope ignorantia & præjudiciorum jugum frangere valuerit, contemplamur; firmissima hujus rei sese nobis offerunt argumenta. (a). Densis igitur priorum temporum tenebris feliciter dispersis, de meliori, qua nos frui voluerit Supremum Numen forte, nostra ætas nata est causam sibi gratulandi, quamquam sint, qui animo suo, nescio quid fini-

A

ni-

a) Verba illust. Voltaire nostra facere liceat: *La comparaison de ces siècles (medii scil. ævi) avec le notre, doit nous faire sentir notre bonheur, malgré ce penchant presque invincible que nous avons à louer le passé aux dépens du présent.* Essai sur L'Histor. Gen, T. XII, p. 179 Ed. 1757.

nistri præfagientes, de effectu, quem in Religionem fit habitura hæc Litterarum mutata facies, minus sentirent benigne. In vicibus scilicet humanis, non nisi mala, felicitatem destruente detegere fategerunt homines, nimis laudibus præteritum extollentes ævum, & ad Scientiarum Litterarumque lucis ortum, ut stellæ sole oriente obnubilantur, omnia evanescere crediderunt Religionis officia, adeoque in eam prolapsi sunt opinionem, ingenii culturam, Scientias artesque inter inventa generi humano noxia, saltem minus utilia esse ponendas (b). Varia Eruditorum, non solum inferioris, sed primæ etiam ordinis, judicia hac de re exstiterunt, & in diversas abierunt sententias etiam viri cordatiores, quos inter componere lites, nostras longe superaret vires; pro modulo igitur ingenii, quædam percensere commoda ex incrementis Scientiarum Religioni allata, in animum induximus. In hoc vero consilio, prout omnis abest temeritas, ita blanda quoque erigimur spe fore, ut B. L. innoxiiis faveat conati-

b) Silentio ea præterimus tempora, quibus in eam homines propenderent opinionem; Eruditionem omnem, præcipue philosophicam, veræ pietati noxiam imo exitiosam fore; mirum magis, causam Religionis in pejus nostro tempore ruentis tradituros, per plurimos eandem, maximam saltem quoad partem, indies crescenti Litterarum amori tribuere. Legantur varia hac de re typis impressa Scripta, plura utique, quam ut afferri possint. Inter Cetera liber, cujus Auctor Anonymus: *Reflections on the sources of incredulity with regard to Religion.*

tibus, et si in tractanda, hac materie nos labantes viderit, humaniter excuset erigatque, id quod omni, quæ decet, observantia petimus.

§. II.

Qui fata Religionis diversamque Litterarum Scientiarumque diversis temporibus indolem formamque limatiori contemplatur judicio, sine multo perspiciet negotio, propinquiori cognitionis vinculo has esse junctas, arctiorique cohærere nexu, quam vulgo creditur (c). Id saltem pro certo jubet habendum omnis ævi experientia & unicuique annales Litterarum vel tantillum evolventi, patet, errores, quibus Scientiæ scaturerunt, copiosissimos in Religionem quoque cito citius irreplisse eandemque deformasse (d). Adeamus & accuratori subjiciamus examini tempora, quibus innumeris & portentosis ingenium humanum obnoxium erat opinionibus, benigna illa destitutum luce, quæ orbem terrarum nunc collustrant Scientiæ

c) Cfr. *Heum. Hist. Lit. Cap. V. pag. 305.* Ed. 7.ma.

d) Quantum ad Theologiæ faciem multis eisdemque pravis opinionibus deformandam, Platonica primum, deinde Aristotelica sive Scholasticorum contulerit philosophandi ratio, vel nobis tacentibus omnes norunt. Vid. *Mosheim de turbata per Platonicos Ecclesia & Voltaire* l. c. pag. 176. Idem quoque monstravit *Brucherus in Histor. Philosoph. Crit. p. 554. seqv. 870 seqv.*

artesque elegantiores; & quam foedis turbatam maculis, quam atris depictam coloribus nobis hæc sistunt conspiciendam tabulam? Horrendum in modum deformatam Videmus Religionem (e): cæco superstitionis & fanatici furori omnia humana & divina succumbere jura; motibus intestinis vastari regiones: diras in Cives cædes, sanctissimam prætexentes Religionem, patrari, & nefanda, quæ propudiosam plerumque comitari solent inscitiam, facinora sine ullo committi horrore.

In tanta rerum perturbatione & Litteris sic quasi suppressis, immane quantum periclitabatur, quisquis supra communem cogitandi rationem saniora fovere auderet principia. Opiniones enim infringere, a multorum retro annorum canitie auctoritatem nactas, præjudicatas licet, non temerarium modo, sed impium quoque fuisse habitum, multis edocemur exemplis. Moribus, ab avis proavisque derivatis tanto plerumque, tamque pertinaci amore adhæret vulgus, ut ab his recedere religioni sibi ducat, etiamsi gravissima secum sæpissime afferant incommoda & ab-

e) Religionis indolem, qui ex disjectis horum temporum monumentis & jejunis, sani sæpissime sensus expertibus, chronicis ipso hoc ævo confectis, excutere sultinet, superstitionem totas ejus constituisse partes, atque in animis hominum, tam altas egisse radices, ut eosdem profus oppresserit, oppressosque, catenis quasi vinctos tenuerit, vix sine horrore inveniet.

absurda. Præposteram hanc judicandi rationem cæcamque antiquitatis venerationem cum in aliis, tum quoque in rebus, ad Religionem spectantibus, suam nullo non tempore exseruisse vim, neminem, nisi plane in generis humani Historia hospitem, latere potest. Sic cultum Summo tribuerunt Numini, ridiculis & incomitis deformatum figmentis atque ineptiis; (cujus rei inter alia, festa asinorum, stultorum variaque ejusmodi monstrosa, quæ tunc temporis hominum fuerunt mentium ludibria, esse possunt indicio;) (f) quæ tamen qui impugnare sunt ausi, id haud raro vitæ faciebant periculo, & ob solam magiæ suspitionem qui hisce temporibus flammis perierunt, plures utique sunt, quam ut numerum eorum inire quis possit.

§. III.

Sed calamitosi hisce peragrandis temporum spatiis diutius immorari nec valet, nec juvat. Extra periculi aleam nunc constituti, iis potius contemplandis delectemur, quæ ad felicitatem humani generis promovendam, magis conduxisse videantur. Increfcens Hierarchiæ Pontificiæ monstrum sollicitè quidem cavit, ne quid sinceræ animos intraret lucis; (quantum enim roboris Pontificum stabiliendæ dominationi ex eo accessit, quod oculis animisque ho-

A 3

mi-

f) Vid. Roberts. *Hist. de Charles V. T. II. pag. 61. Voltaire loc. cit. pag. 356.*

minum tenebras offunderent, atque fucum eis iterum iterumque facerent, notissimum est;) (g.) ratio tamen humana, tamdiu sua privata luce, ignorantiae vincula, quibus erat adstricta, infringere tandem est ausa. Religio quoque, superiorum temporum diritate penitus oppressa, non nihil respirare incipiebat, quamvis profus erumpere catenas sibi injectas adhuc non valeret. Expugnata autem Constantinopoli urbe, inventa deinceps typographica arte, repurgata per Lutherum Religionis Christianae facie, in Europam quoque Scientiarum rediit studium, & postquam orbis Litteratus aliquid foeneratus fuerat lucis, innumeros Ecclesia nostra deposuit Pontificiorum errores; multos vero & Litteris & Religioni adhuc adhæsisse naevos, ad quos abstergendos & magna ingenii vi, judicii acumine & longa annorum serie opus erat, res ipsa jam dudum ivit comprobatum. Eam enim esse mentis humanae indolem, ut brevi & compendiaris via fere numquam ad insignem quandam perveniat perfectionis gradum, nec nisi post multos anfractus & omnes, qui fingi possint tentatos & veluti deterfos errores, hanc suam attigisse metam, omnis testatur Historia.

§. IV.

(g) Cfr. Generof. A. Rosenstein *Afhandling om Uplysningen*, etjam Dissertat. Clar. Mag. Lagi, Præl. Celeb. Porthan, *de ambiguis Pontificum Romanorum de Litterarum flore promovendo meritis*, et Dissert. *de fulbris Hierarchiae Pontificiae* Præl. Celeb. Bilmark,

§. IV.

Haftenus allata eoſpectant, ut ex præteritorum temporum ratione, eaſque, quæ illis fuerit Scientiarum & Religionis indole, auxilium, quod a ſe invicem mutuantur, in aprico poneremus. Hoc vero perſcrutato, expeditiorem nobis futuram viam in diſquiſitione noſtra ulterius progrediendi, haud ambigimus.

Saniores Religionis ſenſus, quibus errores, in rebus ad illam ſpectantibus, reconditi abſtergi poterint, renatis Litteris merito ſic attribui, jure putamus. Hæc vero omnibus, præcipue Seculi vitia indignius ferentibus, non arridet ſententia; ſed incrementa hæc, quibus ætas gloriatur noſtra, apud illos male audire cœperunt. Illis enim pleroſque, ne dicam omnes, in Religionem divinitus nobis traditam factos impetus plerumque adſcribere ſolent, omniaque tentamina, quæ eidem ruinam portendere videantur, ex hoc derivant fonte. (h) Hæc vero
ma-

(h) *Comment ce peut-il faire, que les Sciences dont la ſource eſt ſi pure & la fin ſi louable, engendrent tant d'impûctés, tant d'héréfies, tant d'erreurs, tant de ſyſtèmes abſurdes, tant de contrariétés, tant d'inepties, tant de ſatires ameres? - Je diſois que ceſt parce que la Science — n'eſt point faite pour L'homme; qu'il a l'eſprit trop borné. — Le Philoſophe, qui ſe flatte de pénétrer dans les ſecrets de Dieu, oſe aſſocier ſa prétendue ſageſſe à*

mala, quo jure luci, Scientiis affulgenti adscribantur, non facile est intellectu. Fateamur quidem necesse est, culturam, quæ Litteris Scientiisque omnibus accessit maximam, iniquis Religionis Interpretibus arma interdum porrexisse fortiora, multumque roboris ad pessimas defendendas partes conciliasse viris, ingenii acumine et eruditione præclara alias conspicuis. Fieri enim solet, ut ratio humana, insigniter licet exulta, rectam haud raro deferat viam, nec quid verum, quid falsum, quid probandum, quidque rejiciendum sit, semper inveniat. Hinc innumera illa hallucinandi, quæ sese offerre solent pericula: hinc molimina ista, laude minime digna, quibus dubia varia & nefanda probra rebus quoque sanctissimis objicere haud erubuerunt homines, ingenii vi abutentes: hinc dogmata illa monstrosa atque figmenta inania, quæ purissimis Religionis præceptis immista deprehenduntur, quibus securum omnibus fe-

la sagesse eternelle: il approuve, il blâme, il corrige, il prescrit des loix à la nature, & des bornes à la divinité; & tandis qu'occupé de ses vains systêmes, & se donne mille peines pour arranger la machine du monde, le laboureur qui voit la pluie & le soleil tour-a-tour fertiliser son champ, admire, loue & benit la main dont il recoit ces graces, sans se meter de la maniere dont elles lui parviennent. Observations de J. J. Rousseau sur la reponse qui a été faite a son discours. Plura hujus sagacissimi Auctoris paradoxa legantur in Tractatu pernotissimo: Disc. à l'Ac. de Dijon.

fere ineptiis & erroribus latibulum aperire voluerunt; hæc vero omnia si penitius introspexerimus, haud multum ex illis sanæ Religionis esse metuendum, justæ potius ejus causæ fausta quævis speranda, jure contendere videmur. Prout enim opinionum commenta ad rem divinam labefactandam quodam modo pertinentia, ex malorum hominum crescenti perspicacia producta, aliis sincero & in Religionem animo magis benevolo captis, eadem delendi ortosque refellendi errores præbuerunt ansam, veritates quoque, quibus continetur Doctrina Religionis, maxime salutares ejusmodi conflictu non tam in discrimen adducuntur, quam potius mirum in modum ex eodem stabilitæ, explicatiores certioresque evadant necesse est. (i)

B

Hinc

(i) Ita quoque Heumannus calculos subducit: *Libertati philosophandi non potest adjuncta non esse licentia delirandi. Sed ferre debemus malum hoc minus, alias cavaturi bono illi maximo.* Cap. IV. not. i, pag. 176. Verba quoque ex Bibliotheca Anglica l. c. allata, prout ad rem nostram demonstrandam imprimis facientia, hæc recitare non alienum videtur: *Libertatem eam, qua in Anglia quisque gaudet, Doctrinas Arianas, imo Antiscripturarias proferendi defendendique, in causa esse, ut Theologi pariter ac Philosophi omnes ingenii nervos intendant ad veritatem contra Adversarios tuendam, adeoque incomparabiles edant libros. Hoc modo, bellum in Republ. Civili magnum certe quidem est malum, sed optimos facit milites, imo victorias ac triumphos parit & accessiones ampliarum Regionum.* Cfr. *Leß Arbeit der Christl. Relig. Einleitung & Jerus Betrachtungen über die Christlich. Relig.* 1 Th, pag. 213.

Hinc quantum ad Religionem illustrandam & confirmandam contulerint incrementa, quæ præfenti tempore ceperunt Philologiæ & Critices Sacræ Studia, omnibus in aperto est. Quam multum lucis & evidentiaë obtinuerunt varia Sacrarum Litterarum loca, ex faniori illis accedente explicatione, certioribus interpretationis & hermenevtices regulis superstructa, quibus tamen antea ipsi Religionis contemptores ad sanctissimam Doctrinam aut funditus evertendam aut conviciis proscindendam fuerant usi? Adeo ut, rejectis sensibus illis absonis, quos aut ignorantia, aut superstitio, aut denique inimicum intulerat propositum, & absterfis, quæ tenebras claris obduxerunt rebus, mendis, tuto jam & inoffenso progredi queamus pede, ubi in salebras non facile evitatas inciderunt veteres. Litteris igitur earumque hoc in genere incrementis, laudi verti potest, quod faciliior & tutior aditus ad illos pateat evolvendos & intelligendos libros, quibus ipsa Religio tamquam fuleris nitatur firmissimis, quos tamen superstitiosa antiquitas, ex præpostera reverentia, quam sacris deberi putavit, omnis labis, adeoque omnis inqvirendi expertes voluit studii.

§. V.

Si ad cetera quoque attenderimus Scientiarum genera, in ipsam Religionem ejusque veritates, majoris sane ponderis injurii essemus, si ex incrementis, quæ ceperunt, detrimenti quid illas fore capturas

ras statueremus. Clarissimis saltem, huic acceden-
 tes sententiæ, historicis contradiceremus testimoniis,
 quæ omnia comprobant, gentes barbaras ab omni
 ingenii cultura relictas, falsas plerumque hominibus-
 que indignas de Summo Numine ejusque cultu fo-
 visse opiniones. Quantam enim superstitio in igna-
 ram gentem exerceat vim, quantumque faciat ad o-
 piniones, christianæ Religioni veræque virtuti ini-
 micas, animis hominum instillandas atque inculcan-
 das, vix credi posset, nisi Historia hoc abunde te-
 staretur. Sic ex illa discimus, quantum homines va-
 riis, quæ in coelis se videre putarunt, prodigiis su-
 periori adhuc seculo & imprimis durante tricennali
 bello Germanico, torquerentur & quod in capiendis
 consiliis principia Astrologiæ judiciaræ magis, quam
 cultam sequerentur rationem, hac fascinati opinio-
 ne, quod eventus terrestres a cœlestibus indicaren-
 tur prænuntiis. Nostro autem ævo, Studio Physices
 magis exculto, & prodigia, & opinionum chasma-
 ta eis innixa, vix ulla venditantur. Jacebat enim
 tunc Philosophia Naturalis, nullis utpote observatio-
 nibus rite factis aut experimentis nixa, sed variis
 solummodo & sæpe mente casis superstructa termi-
 nis. Tanto majoris autem æstimanda est lux, ab ac-
 curata Naturæ cognitione in sanctissimam Religio-
 nem reflexa, quanto certius constat, eam nos blan-
 do ducere modo ad præclariora multo & mirifica
 prorsus non humani sed divini, artificii in rebus cre-
 atis specimina detegenda, quibus quantum Summi

Sapientissimique Auctoris potentia bonitasque possit efficere, illustrissimis plane documentis est demonstratum. Horum itaque diligens & attenta consideratio, qua nihil certe jucundius, nihil homine dignius esse potest, eo nos compendiaria quaedam ducet via, ut intelligamus, hoc ipso opere tam perspicue, tamque magnifice effinxisse divinum Opificem, ut, quæ rebus creatis conclusa est divinarum perfectionum imago, ea in hisce non modo semper & clarissime queat animo cerni, sed non possit etiam ex illis, nisi totius universi ordine ac pulchritudine solutis, eximi. Nova hæc non est opinio, sed multorum seculorum experientia comprobata. Ex sacra enim constat Historia, quod Apostoli Paulus ac Barnabas, Iconienses ab Idololatriæ vanitate abducturi & ad veri Dei cultum deducturi, ad opera ipsius provocaverint, summaque in operibus tam bonitatis quam sapientiæ specimina (k). Quid? quod sensu careret omni, quisquis vel innumeram stellarum fixarum, totidem solium, ac proinde Systematum mundanorum multitudinem, ope accuratissimorum telescopiorum nostra ætate detectam, nec non ingentem & humano animo vix comprehendendam mundi hujus amplitudinem ex Doctrina de parallaxi solis annua colligendam, cogitaverit, ad tanta & tam stupenda magnalia suavissima quaedam admiratione voluptateque non mulceatur & in laudem Summi
Cre

k) Act. XIV. 15 — 17.

Creatoris non totus erumpat, simulque paternam suam Providentiam a maximis mundi corporibus, ad animalcula oculis armatis vix perceptibilia, se pari facilitate ac gratia extendentem, non cernuus agnoscat, deveneretur. Accuratori quoque Physicæ cognitioni referimus acceptum, quod totam sagarum atque Numinum silvestrium cohortem, ex libris Theologicis, qui melioris habentur notæ prorsus eliminatam nunc videamus.

Non a re alienum foret heic per singula ire Scientiarum capita & quid commodi atque utilitatis ex illis hauriat Religio, inspicere, quantumque unaquæque Disciplina philosophica rite, uti recentiori imprimis ætate factum est, exulta & ultra positos sibi non oberrans limites, ad illam illustrandam, conferat; verum propositæ brevitatis memores filum dicendorum jam abrumpimus, certo certius confidentes, commoda illa, quæ breviter summamque tantum a nobis fuerint exposita, comprobare, nihil periculi ex incrementis Scientiarum Religioni esse metuendum, tuto potius affirmandum, hanc novis quasi fultam fore subsidiis semperque majorem vim, quæ hominum ad se alliciat & convincat animos, habituram, quamdiu veritates illæ, quas Scientiæ philosophicæ tractant, cultiorem induerint formam.

1870
The first of these is the
fact that the population
of the country has
increased rapidly since
the year 1850. This
is due to a number of
causes, the most
important of which are
the discovery of gold
and silver, the
opening of the
Suez Canal, and the
improvement of the
railroads. The
result has been a
great increase in
the number of
immigrants, and
a corresponding
increase in the
number of the
population. This
increase has been
the result of a
number of causes,
the most important
of which are the
discovery of gold
and silver, the
opening of the
Suez Canal, and
the improvement
of the railroads.
The result has
been a great
increase in the
number of
immigrants, and
a corresponding
increase in the
number of the
population.